

149

147

153

143

158

138

198

098

248

048

Ende

Anfang

138

quibus sunt multae palmae. Sapidi sunt fructus nec laesivi, quos  
incolae accipientes, ejectis lapidibus, qui intra corpus jacent, com-  
primunt in massas, quasi panes, sicut etiam fit de sicubus, et ita  
manducant aut vendunt. Hae autem massae vocantur caricae vel  
cariacae et portantur ad mensas cum caseo, vel loco casei ponun-  
tur. Fructus palmae est compositus ex substantia molli et carnosa  
et habet durissimum nucleum, quasi saxum, in ejus medio est  
albissimum granum, quod est semen. Aliqui tamen dactyli repe-  
riuntur sine nucleo et vocantur spadones, quia non continent  
semen. Antiquiores palmae dulciores habent fructus, nec potest  
palma (122 a) fructificare ante centesimum annum, nisi enim  
sit centenaria, non habet dactylos. Sunt et aliae arbores fructi-  
ferae diversarum specierum, sicut patet supra de horto balsami.  
fol. 65.

Si plantaretur vinum in Aegypto, praecipuum et optimum  
fieret: facit enim Nilus Aegyptum quasi paradisum, unde vallis illustris  
pars praecipua terrae sanctae ante subversionem Sodomae Aegypto  
et paradiso comparabatur, Genes. 13. Nam ante Sodomae sub-  
versionem Aegyptus et terra sancta condependerant ad invicem  
per Jordanis defluxum; non enim erat mare mortuum, sed Jord-  
anis per aulonem decurrebat contra meridiem ad Aegyptum et  
Nilo influebat. Universa autem regio ab utroque latere Jordanis  
irrigabatur ab eo, sicut Aegyptus a Nilo, et eandem fertilitatem  
praestat aqua Jordanis, quam dat Nilus, cum etiam origo sit de  
paradiso et aquas habeat de Tigri et Euphrate, ut patet supra.

Sic ergo patet, quod antequam Dominus subverteret Sodo-  
mam, convenerunt in duabus fluminibus, Jordane et Nilo, aquae  
quatuor flumen paradisi in Aegypto, Ganges, Pison, Tigris et  
Euphrates.

Ulterior processus peregrinorum a fine Nili per littus  
maris magni contra Alexandriam, et quid sustinuerint in  
littore maris a paganis et in via, quotiens tribulati sint  
et invasi ab occurrentibus Sarracenis, docebunt sequentia.

Die XXIII. cum nox illa infelix transisset, de qua dictum est  
supra folio 106., mox ut dies felix irradiari coepit, aurae flatus

